

pimus et imperpetuum spoliari, ita quidem quod ad hoc etiam per aliquam personam ecclesiasticam non possit ulterius regressum habere. [§ 4] Ceterum quoniam dignum est, ut filii onera paterna supportent, uobis, fratres episcopi, presentium auctoritate mandamus, ut si metropolitanum uestrum sacrosanctam Romanam ecclesiam uisitare uel in expedicione uobis ocio uacantibus proficisci contigerit, ei dignam subuectionem prestetis et ei in his consilium et auxilium uestrum prout decuerit [mini]stretis. [§ 5] Tibi uero, frater^{a)} archiepiscope, ob necessi[tatem] regni et tua petitione inducti et facultatem et auctoritatem concedimus, ut aliquem de suffraganeis tuis cum assensu et consilio maiorum personarum prouincie tue uicarium tuum instituere possis, qui te absente aut sede Trundensi uacante iura ibidem pontificalia ualeat exercere. [§ 6] In abbatiis uero Cisterciensis^{b)} ordinis, que in parrochiis uestris consistunt^{c)}, benedictionem abbatis, uocationem ad sinodum et alias in negotiis ecclesiasticis consilium episcopus diocesanus potest de iure exigere, set^{d)} de laboribus, quos propriis manibus aut sumptibus excolunt, nulle sunt ab eis decime dande nec aliquid aliud ab eis quemquam uestrum exigere licet, nisi quod ipsi ex caritate sponte sua uoluerint conferre. Dat. IIII^o idus decembris.

11.

Brit. Mus. Cott. Vitellius E XIII fol. 273 d.

Benevent (1169) De3. 10.

Alexander III. Trundensi^{e)} archiepiscopo, apostolice sedis legato.

[§ 1] Super eo quod a nobis tua sollicitudo requisiiuit, quod cathedrales ecclesie, cum te pro suis negotiis uocant, tibi impendere teneantur, presertim cum laborem inde non possitis absque expensis subire, tue prudentie respondemus, quod eedem ecclesie tibi secundum facultates suas, iuxta quod necessitatem habueris, in uictualibus prouidere tenentur. Te uero illam in sociis et equitaturis moderantiam decet |^{f)} [ad-

^{a)} fehlt.

^{b)} Cistrensis.

^{c)} constituit.

^{d)} et.

^{e)} Truden.

^{f)} fol. 274 a.